



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones Clementis XII. ab Anno V. usque ad X.

Luxemburgi, 1748

CLXXIV. Tertiariis Ordinis S. Francisci Jurisdictioni pro tempore existentis
Ministri Generalis Ordinis Fratrum Capuccinorum subjectis, Indulgentiæ
Confratribus, & Consororibus B. Mariæ de Monte ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75393](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-75393)

quibuscumque verborum expressionibus, & formis, & cum quibuscumque clausulis, & decretis etiam Motu proprio, & ex certa scientia, deque Apostolica potestatis plenitudine pro tempore quomodolibet factis, & faciendis, ac concessis, & concedendis minime comprehendi, vel confundi, sed semper ab illis excipi, & quoties illa emanabunt, toties in pristinum, & validissimum statum restitutas, repositas, & plenarie reintegratas, ac de novo, etiam sub quacumque posteriori data per Thomam, & Silvium Archiepiscopos, & Commendatarium prefatos quandocumque eligenda concessas esse, & fore, ac semper, & perpetuo validas, & efficaces existere, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, ad quos nunc spectat, & spectare poterit quomodolibet in futurum perpetuo firmiter, & inviolabiliter observari, & adimpleri, sique, & non aliter per quoscumque Iudices Ordinarios, vel Delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac prefatos S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, Vice-Legatos dictaque Sedis Nuncios judicari, & definiri debere, & si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus.

Derogatio
contrario-
rum.

§. 7. Non obstantibus quibuscumque etiam in Provincialibus, & universalibus Conciliis editis, vel edendis, specialibus, vel generalibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Ecclesie Messanen., & Monasterii, necnon ordinis predictorum, & Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis illis, illiusque Capitulo, & Canonicis, & Conventui ejusdem Monasterii, quomodolibet forsan concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiam de illis, eorumque totis tenoribus, & formis specialis, & specifica, individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret illorum tenores, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata expressis, & inserti forent iisdem presentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes illis alias in suo robore permanentibus hac vice dumtaxat latissime, & plenissime, ac specialiter, & expresse harum quoque serie derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Poene infra-
rioribus in-
tentatae.

§. 8. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, avocationis, extinctionis, approbationis, confirmationis, roboris, adjectionis, defectuum suppletionis, decreti, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire, si quis autem hoc attentare praesumpserit indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. die 8.
Martii. 1736.
An. VI.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicae Millesimo septingentesimo trigesimo sexto, Octavo Idus Martii, Pontificatus nostri Anno VI.

CLXXIV.

Tertiis Ordinis S. Francisci Jurisdictioni pro tempore existentis Ministri Generalis Ordinis Fratrum Capuccinorum subiectis, Indulgentiarum Confratribus, & Confratribus B. Mariae de Monte Carmelo concessa communicantur.

CLEMENS PP. XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Sollicitudo Pastoralis Officii, quo Ecclesiae Catholicae regimini divina dispositione pra-

sidemus, nos admonet, ut paternam Religiosorum virorum sub suavi arctioris Regulae Jugo mancipatorum curam gerentes, pia illorum Studia gratiis, & favoribus foveamus, atque incitamus opportunis.

§. 1. Cum itaque sicut dilectus filius Bonaventura a Ferraria Minister Generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Capuccinorum nuncupat. Nobis nuper exponi fecit, ipse omnibus utriusque sexus piis personis ubicumque existent. tam intra, quam extra claustra degentibus etiam conjugatis, quae sub Regula tertii Ordinis ejusdem S. Francisci militant, & quae sub Jurisdictione pro tempore existentis Ministri Generalis dicti Ordinis reperiuntur, omnes, & quascumque Indulgentias, ab hac Sancta Sede Apostolica tam concessas, quam impofterum concedendas, quibus Confratres, ac Conforores Confraternitatis B. Mariae de Monte Carmelo gaudent (tendentibus etiam in id precibus dilecti pariter filii Ludovici Benzoni Prioris Generalis Secundo dicti Ordinis) per Nos communicari summo opere desideret.

Ministri Ge-
neralis Ordinis
Capuccino-
rum pre-
ces.

§. 2. Nos igitur quo praedictus Tertius Ordo S. Francisci ad majorem Dei gloriam, religionis incrementum, & animarum salutem magis, magisque de die in diem augeatur, ejusdem Bonaventurae Ministri Generalis votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibuscumque excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis, a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum presentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, enarratam communicationem Indulgentiarum praedicto Tertio Ordini S. Francisci, qui militat sub Regula S. Francisci, & sub Jurisdictione pro tempore existentis Ministri Generalis eorumdem Fratrum Capuccinorum reperitur, auctoritate Apostolica tenore presentium concedimus.

Communica-
tio de qua in
Rubrica.

§. 3. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, sique in praemissis per quoscumque Iudices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Praesentium
Literarum
firmatas.

§. 4. Non obstantibus Nostra, & Cancellariae Apostolicae Regulae de non concedendis Indulgentiis ad instar, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non quatenus opus sit Ordinum praedictorum, aliisque quibuscumque, etiam Juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores, praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Obstantium
derogatio.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 13. Martii 1736. Anno VI.

Dat. die 13.
Martii. 1736.
An. VI.

F. Card. Barberinus.

Confir-